



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica Secunda

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*minica Mysterium.* Ad omnes salutaciones angelicas flectat quàm devotissimè, corpore, & animò quietus. Nec dies sit, qui vobis transeat sine unius, vel alterius mortificationis opere. Nulla dies sine linea.

## Dominica II. Adventûs.

### EXHORTATIUNCULA I.

**E**Cce! Deus mittit angelum suum S. Joannem, ut retrahat impios à via impietatis: Bonos verò ad omnem erudiat justitiam, & sanctitatem. Improbi, quos inter & Herodes, non admittunt monentem. O infelicem! nam *omnis anima, quæ admonitionem respuit, incurabilis est.* S. Greg. Naz.

#### *Instructio meritoria.*

*Bonus admoneri gaudet, ait Seneca, pessimus quisque correptionem patitur asperrime.* Bonus ut sit, mi fili! ad obviam correctionem, vel superioris admonitionem inclinatò capite aliud non respondeamus, quàm: *Fiat, ut Deus vult, & optat superior;* Murmurationem  
verò,

verò, & internam impatientiam, ut providè evellamus, manè, meridie, & vespere procidentes in terram, eandem humiliter exosculemur dicentes: *Domine! auge correctiones: Sed & auge cum humilitate patientiam.*

## II.

**C**Ujus ita obliviscitur humana fragilitas, quàm benefactorum? malefacta marmorì, beneficia inscribimus mari & aquis. Alius est Divinæ Benevolentiae stylus. Vix S. Joannes confessus est Christum, & hic plenìs velis excurrit in laudes Joannis: *Cæpit enim Jesus dicere ad turbas de Joanne, eumque plùs, quàm Prophetam deprædicat. Grati simus; & vivemus in ore omnium.*

*Instructio meritoria.*

Minima qui spernit, paulatim decidet. Fili! hæc fortè commisimus? non tegamus, sed & ad S. Tribunal pro fideli confessione deportemus, & idcirco nos quàm humillimè accusemus, satisfacturi quoque incuriæ nostræ unum

ex *Psalmis pœnitentialibus* coram SS. Venerabili quotidie persolvamus. Fiet, ut curâ minimorum, beneficia promereamur majora.

## III.

**Q**uid ô fili! Christus, ne in eo scandalizemur, hortatur, & monet: omnia, quæ fecit, bona, & sancta sunt. Unde igitur occasio scandali? quia *alium* expectamus. Non placet Christi humilitas, nec paupertas, nec Christiana fortitudo ac patientia. Non ita, non ita vobiscum, dilecte fili!

*Instructio meritoria.*

Beatus, qui in Christo non fuerit scandalizatus! beatus, qui in Christi humilitate, patientia, & paupertate fuerit delectatus. Delectemur & nos, & in qualibet ex prædictis virtutibus exerceamus quinque speciales actus, & hoc fiat usque ad confessionem proximam. His verò salutis diebûs ne obliviscamur nostrum, (quotidie recitabimus *Lytanias de dulcissimo Nomine Jesu*) cum tessera diurna

diurna : *Non alius : Sufficit mihi unicus, qui solus Jesus est.*

## Dominica III. Adventûs.

### EXHORTATIUNCULA I.

**D**uo latent in hodierna Dominica. Cognitio sui : *Tu quis es?* & interiorius in spiritu gaudium : *Gaudete.* Utrumque est necessarium tam incipienti, quàm progredienti in via Domini. Primum ut eò humilior sit in oculis Dei : Secundum, ut eò generosior spernat mundi gaudia, & sola quærat ac desideret immortalia.

#### *Instructio meritoria.*

Citò igitur ad Verbum Incarnatum, à quo impetrabimus omnia. Oremus in hunc finem *tres primas Decades ex Rosario Gaudioso cum Psalmo : Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* Deus imminet, ardeant pectora!

#### II.

**M**iremur hodie S. Joannis simplicitatem. Colitur, & honoratur ut Christus. Sed renuit clamans : *Non sum.*

A 4

Ah!